



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Cap. IV. De Scholasticorum Spiritu in Collegio conservando, atque
augendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

ribus, & Operariis succedere possent ad Operis perpetuitatem, non plures ferè alere posse oportebat, quam viginti: jamque singulæ Provinciæ habent majora Collegia, in quorum Seminariis earumdem Scholares simul commodiùs, & utiliùs instituuntur; visum est Congregationi; non fore contra veteta decreta, neque contra bonum commune, si deinceps admittantur aliqua Collegia, in quibus viginti saltem Socii degere, ac sustentari possint. Excipiuntur Indicæ & Transalpinae regiones, de quibus nihil adhuc præscribendum videtur. p

¶ C. 8. D. 27.

C A P U T I V.

De Scholasticorum Spiritu in Collegiis conservando, atque augendo.

Quantis intersit Scholasticorum bona educatio.



Bona Scholasticorum Societatis educatio magni momenti semper visa est; cum ex iis postea tum Professi, tum etiam Operarii fiant. Designandi sunt igitur illis, non solum ij Superiores, qui eos in via Domini, & religiosa perfectione probè instruant; sed boni etiam Confessarii & Præfecti rerum spiritualium, qui suo munere

nere benè & exactè fungantur. Quin etiam eos Præceptores ut habeant, curandum est; qui non solum doctrinæ studiis eos excolant, sed bono etiam exemplo ad virtutem incitent.

a P. 4. c. 4. §. 2.
& In 7. §. 1. &
In. 17. initio.

S E C T I O I.

De Scholasticorum tum Juniorum, tum omnium segregatione.

I. Q UOD præscriptum, servatumque ab initio fuit, ut Novitii non promiscuè cum omnibus agerent, etiam quando ratione studiorum in Collegiis versabantur; id etiam cum Scholasticis Approbatis, ubi ad Collegia venerint, curandum est. Nam cum nihil sit, quod majori studio promovere Societas debeat; quàm ut in functionibus ad majorem Dei gloriam susceptis illum spiritus fervorem conservare, ac in dies augere Nostri studeant, quem initio hauserunt: cumque magnus ex juniorum nostrorum Fratrum à reliquis separatione fructus constet, ad eos in bona Novitiatus educatione confirmandos; non modò omnium votis jam alicubi inducta separatio approbata est; sed etiam Provincialibus magnoperè com-

Institutum Juniorum segregatione.
b P. 3. c. 1. §. 3.
& Reg. Prov. 38.

mendatum, ut hunc Juniorum seorsum à cæteris habitandi, conversandi, & in omnibus, quoad fieri poterit, eosdem segregandi morem inveni, & observari curent; rogatusque P. Generalis, ut Instructionem aliquam, ad hujus rei faciliorem progressum, conficeret. c

c C.6.D.16.

Ejus locus &
tempus.

2. Instructio autem postmodum confecta decernit multa circa locum, tempus, & regimen cum iis servandum. Educandi igitur erunt in loco separato; ad quem accedere nulli fas sit, nisi prius ab uno Rectore facta potestate. Tempus autem certum hujus segregationis cum difficile sit statuere universis, propter diversam tum ætatem, tum spiritualement indigentiam singulorum; tamen; ut minimum, biennii spatium esse oportebit; quod protrahere Provincialis erit, rejecta quantumvis gravium Patrum intercessione: neque ante expletum biennium, quamvis firmi, ac stabiles in Vocatione, ad docendum in Scholis educantur. d

d Ord.c.13. §.
1. 2.

Regimen.

3. Horum autem cura, & instructio, etsi tota à Rectore Collegii pendet; nihilominus per alios exercenda erit: quorum primus, quasi Præfectus spiritus, in hoc ipso eos dirigat: alter, tamquam Minister, in regulari disciplina contineat; ac iis neces-

ces-

cessaria provideat : (nam Ministro totius Collegii minimè visum est expedire illos subijcere ; nisi fortè in illis corrigendis puniendisque ; cùm aliquid extra definitum locum peccare intellexerit.) Quæ autem sint utriusque partes , accuratè præscribitur in eadem Instructione , quæ videnda. e

4. Sed & cum antiquioribus Scholasticis aliqua etiam servanda norma in agendo cum aliis ; omnibus enim edicitur. 1. Si Magistros studiorum causa convenire debent , horam certam à Superiore destinatam habeant , extra quam illorum cubacula , sine peculiari facultate , non adeant. f
2. Minimè permittendum est , ut Scholastici Patres antiquiores nimis familiares , ac veluti Patronos apud Superiores habeant. Et Seniores ipsi moneantur ; ut ab hujusmodi patrociniis , tam Scholasticorum , quàm aliorum è Nostris quorumcumque sibi temperent , juxta ea , quæ de vitandis hujusmodi intercessionibus præscripta sunt. g
3. Si humanam & politicam rationem agendi in aliquibus Superiores animadvertant , eorum consilia præcidant ; doceanturque , dum juvenes sunt , detestari tantum malum in Societate. h

5. Vigilent etiam Superiores ; ne assuescant Scholastici nimis colloqui cum externis,

e Ord. c. 13.

Omniium Scholasticorum separatio aliqua à Senioribus.

f C. 6. D. 40. §. 5. & C. 7. D. 80. §. 18. & Reg. Schol. 13. & In. 17. §. 2. 3.

g Inst. 17. §. 3. & Or. c. 4. §. 12.

h Instr. 13. c. 8.

Et ab Externis.

nis, aut amicis; & cum illis familiaritates habere; apud eos prandere; literas, & munera dare & accipere; nisi necessitas, aut recta ratio aliud suadeat. Propterea non vocentur ad januam, nisi de unius Rectoris expressa licentia; quam raro admodum oportebit concedere; & invigilare, ne proluxa sint eorum cum Externis colloquia: nisi fortè in locis ubi sunt Universitates, indulgendum plusculum videatur; ut Provincialis, vel Rectoris iudicio, ali- quibus eorum virtute præstantibus permit- tatur agere cum Auditoribus secularibus, ad eos in spiritu juvandos: cum Scholasti- corum nostrorum colloquia cum Externis esse debeant solùm de rebus ad litteras, vel profectum spiritus pertinentibus. l

i C. 6. D. 40. §.
1. & Instr. 7. §.
2. & Instr. 17.
§. 1. & 6.

l P. 4. c. 4. §. 6.
& P. Schol. 9.

*Exire Domo
quatenus licent.*

6. Præterea cum ad publicas scholas eundum erit, (nam alia loca, sine facultate Superiorum, non petent) eant, & redeant invicem associati, cum ea modestia interiori, ac exteriori, quæ ad sui & aliorum ædificationem conveniat. Rectoris autem erit designare cuique Socium, qui huiusmodi esse debet, ut uterque alterius opera magis proficere possit. m

m P. 4. c. 4. §.
6. & F. & R.
Scho. 8.

SECTIO

S E C T I O I I.

*De Studio Orationis, Mortificationis,
& aliarum virtutum Scholasticis
prescripto.*

I. S Egregatis à libero cum hominibus *Sacramentorum*
commercio Scholasticis, eorum ani- *frequentia, &*
mi Deo uniendi sunt. Itaque præter Sacra- *grandi forma.*
menta Confessionis, ac Communionis, ad
quæ octavo quoque die accedendum erit,
& præter Missam, quam quotidie audient,
horam unam impendent recitando Beatif-
simæ Virginis officio, ac examinandis bis
quotidie suis conscientis, cum aliis ora-
tionibus, pro cuiusque devotione; usque
ad prædictam horam explendam. *¶ Fre-*
quentius, quàm octavo, quoque die com- *¶ P. 4. C. 4. §. 3.*
municare, non nisi peculiare ob causas,
& potius necessitatis, quàm devotionis ha-
bita ratione, permittantur. Protrahere ul-
tra octo dies non sine ratione etiam spe-
ciali licebit; propter quam etiam possit
aliquando Missa intermitteri; & hæc om-
nia Superioris prudentiæ relinquentur.
Dum Missa dicitur, quamdiu Sacerdos
submissè loquitur, ut populus non audiat,
quæ is dicit: num Scholastici possint nec-

ne recitare partem precum suarum, ad quas horam habent designatam, Majorum, vel Superiorum arbitrio id relinquatur; qui hominum, locorum, ingeniorum, & temporum habita ratione, quod ad majorem Dei gloriam videbitur, providebunt.

o P. 4. c. 4. B. &
R. Rect. 34.

*Oratio mentalis
mox inducitur.*

p P. 4. c. 4. A.
B. & C. 6. A.

2. Cùm autem in quibusdam possit augeri, ut & minui præscriptum orationis tempus: p & in Scholasticis, qui ad dicendum divinum officium non tenentur, facilius hæc ratio commutari possit, ut loco precum B. Virginis, meditationes & alia exercitia succedant, (dum tamen hora in illis compleatur) habita ratione veræ devotionis ipsorum, vel Fundatoris, & aliarum circumstantiarum; q approbata postmodum est praxis, ex delegatione Congen. introducta à S. FRANCISCO BORGIA; ut per unam horam, præter tempus duplicis examinis, omnes, atque adeò etiam Scholastici, orent. r De Rosario autem, vel Officio B. Virginis quotidie recitando, visum est, id cujusque devotioni, ac Præfecti rerum spiritualium prudentiæ relinquendum esse.

q P. 4. c. 4. B.

r C. 2. D. 29. &
C. 4. D. 5.

s 6. D. 40. §. 4.

*Mortificationes,
& alia exercitia pietatis.*

3. Quoad mortificationes attinet; poterunt interdum mitti, ut ostiatim petant eleëmofynam; aut inserviant hospitali; aut comitentur emptorem; aut in plateis con-

concionentur, Christianamque doctrinam doceant; prout magis in Domino expedire videbitur, habita ratione ædificationis, & spiritualis utilitatis Nostrorum. Proderit etiam ad Scholasticorum spiritualem perfectum, veterem mortificationum consuetudinem tempore Vacationum excitare, propositis in hunc finem in tabella mortificationum capitibus. Quin etiam expedire omninò videtur, ut qui in spiritu nimis relaxati videntur, quo in eis spiritualis fervor excitetur, ad has mortificationes & exercitia etiam spiritualia suaviter, omninò tamen inducantur. Immo verò hi, quando opus esse judicabitur, à studiis ad tempus, vel etiam simpliciter amovendi sunt, ut melius in spiritu proficiant; & in virtutibus solidentur. "

4. Ceterum post Probationem cum studiis vacant, ut est cavendum, ne fervore studiorum intepescat solidarum virtutum, ac religiosæ vitæ amor: ita mortificationibus, orationibus, ac meditationibus prolaxis eo tempore non adeo multum loci tribuetur. Quandoquidem literis dare operam, quæ sincera cum intentione divini servitii addiscuntur, & quodammodo totum hominem requirunt, non minùs quàm in illis versari tempore studiorum, immo magis,

Ex.C.4. §. 27.
& P.4.C.2. §.
6. & P.6.C.2.
§. 10. & R.
Rect. 29.

" Instr.7. §. 4.

Horum tamen moderatus usus.

* P. 4. c. 4. §. 2. magis, Deo ac Domino nostro gratiam
& c. 6 §. 2. & crit. *

R. Schol. 2.

In studiis literarum intentio recta.

5. Quare animi puritatem custodire, & rectam in studiis intentionem habere Scholastici nostri conentur; nihil aliud in his, quàm Divinam gloriam, & animarum fructum quærentes. Ad hunc enim scopum studia Societatis diriguntur: & in suis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant, à Deo crebrò petant. y

y P. 4. c. 6. §. 1. & R. Schol. 1.

Et omnimoda Indifferentia.

6. Ad cujus intentionis puritatem conservandam satagant Superiores, ut Scholastici nostri eam indifferentiam assequantur, juxta Reg. 31. Summarii; ut scilicet à Superioribus se regi sinant, nec sint solliciti, quid peractis studiis, & tertio Probationis anno sint facturi. z Et quidem si aliqui in hac religiosa indifferentia, immo & reliquis etiam Virtutum officiis parùm se probant Societati; circumspèctè quoad illorum studia agendum est; ita ut aliis occupationibus nonnumquam illa interrumpantur; differantur certè: ne iisdem absolutis plus sibi tribuant, quàm Societas illis deferendum censeat. Simulque dum eis studia differuntur, apertè de suis imperfectionibus monendi sunt. a

z In. 7. §. 5.

a Cl. c. 6 §. 4.

S E C T I O III.

De Renovatione Votorum.

1. **I**Nter maximè propria adjumenta pietatis Scholasticorum est renovatio Votorum: licet eadem sit communis aliis, post emissa Vota, qui vel nunquam studia auspicatori sint, vel absolverint; dummodò & vota emiserint, & nondum in gradum Coadjutoris formati, aut Professi coòptati fuerint. Ad devotionis igitur augmentum, & ad excitandam, qua Deo obstricti sunt, obligationis memoriam, & ad majorem studentium in sua Vocatione confirmationem, bis annis singulis circa Festa Resurrectionis, ac Nativitatis, simplicia Vota renovare congruum erit: & si videretur Rectori cum Superioris facultate, commodius fore aliis in Festis solemnibus, id fieri posset. *b* Quare declarata est Præpositi Generalis potestas in universum festa illa mutandi; quod traditio universalis à tempore ipsius Sancti **IGNATII** usu, & consuetudine roborata confirmaverat. *c*

Cur, & quando habenda.

b P. 4. c. 4 §. 5.
& D. & P. 5. c.
4. §. 6. & H &
C. 4. D. 55. R.
Præp. 24 Rect.
23.

c C. 2. D. 64.

2. De effectu autem, seu vi hujus Renovationis decretum est; Vitia, quæ fortè *Quos effectus habeat.*
con-

contigerint in prima nuncupatione Votorum, ob defectus ætatis, biennii, aliosque similes, cessantibus ejusmodi defectibus, qualibet consueta Renovatione votorum emendari. Et quod in Constitutionibus dicitur Part. 5. c. 4. §. 6. *Renovare vota non esse obligatione nova se obstringere, sed ejus, qua obstricti sunt, recordari, atque eandem confirmare*, intelligendum est, & hæcenus intellectum; quando obligatio priori supervenit obligationi; non verò quando nullam invenit obligationem. *d*

d C. 8. D. 22. &
C. 12. D. 13.

Quomodo peragenda.

3. Ut autem majori cum fructu devotionis Renovatio peragatur, ante illam instituaturs Vacatio per triduum, ita ut cesset ab aliis occupationibus, etiam literariis, præterquam à lectionibus ordinariis, ubi ex habentur, sive matutino, sive etiam vespertino tempore. Et ideo ubi commodè fieri poterit, eligendum tempus, in quo præcedant aliquæ vacationes, sicut vacationes Natalitiæ, & per illud triduum omnes, qui vota renovaturi sunt, etiam si non Scholastici, exercent se in rebus spiritualibus, juxta Instructionem. *e*

e C. 6. D. 29. §.
1. & C. 7. D.
77.

Ea de re distinctior Instructio.

4. Hæc autem Instructio duo capita complectitur. Primum, ut ad colloquia, vel negotia cum Externis ad januam, vel ad recreationem cum Domesticis illo triduo

duo non admittantur. Alterum est; quod cum finis sit harum feriarum spiritualium, ut ex occasione Renovationis Votorum, unusquisque sedulo incumbat in omnimodam suimet reformationem, per Examen & Confessionem generalem, seque ipsum introspeciat; operæ pretium erit, aliquot horas meditationi, & orationi, præter pii alicujus libelli lectionem, impensè vacare: atque in eum finem usui esse poterunt eæ meditationes, quas Superior, vel Præfectus spiritus fini, quem intendit Societas, profuturas judicaverint. *f*

f Instr. 17.

§. 7.

5. Cùm autem ad excipiendas prædictas Confessiones generales, aliquo tempore ante Renovationem, debeant à Provinciali, si adsit, extraordinarii Confessarii designari: *g* hi ab eo tempore usque ad diem Renovationis Votorum inclusive possunt Confessiones Nostrorum, qui ibi sunt, tum generales, tum particulares, ac tam eorum qui Vota non renovant, quàm qui renovant, audire; quoties eis placuerit, per totum illud tempus, ad illos accedere. *b*

Confessarii extraordinarii hoc tempore.

g R. Prov.

131. & Præp.

23. Rect. 22.

b C. 12. D. 16

Inter adjuncta præcipua, quibus Societas Scholasticorum pietati consulit, censenda omninò est tertia Probatio. Sed quia hæc post studia confecta peragitur; ejus

I

tra-

tractatio postremo hujus Partis loco red-
detur.

S E C T I O I V.

De Promotione ad Ordines sacros.

CUm hoc studiorum tempore susci-
piantur plerumque Ordines sacri; hic
de illis agendum est, quatenus suscipiun-
tur, & obligationes aliquas inducunt:
nam de exercitio eorundem relatè ad ju-
vandos Proximos ex professo infra dicitur
Part. 5. c. 1. De Ordinibus minoribus nihil
in nostro Jure præscribitur; sed consuetudo
tenet, ut Scholastici post emissa Vota
Biennii ad illos promoveantur.

*Sub finem stu-
diorum Ordines
suscipiendi, &
quare.*

I. Si omnia impedimenta removeri
convenit, quæ à studiis animum avocant;
ita ut vel ipsæ devotiones, & mortifica-
tiones nimix, & sine ordine susceptæ,
prohibeantur: multò magis interdicuntur
curæ, & exteriores occupationes; quæ
vel domi, vel foris, in functionibus erga
proximos assumuntur. Ea de causa in iis,
qui ad sacros Ordines promoti non sunt,
congruum est si promotio differatur;
donec ad finem studiorum accedant. Est
enim consultum, quò aliis postea utiliores
cum doctrina, quam didicerint, se præ-
beant,

beant, hujusmodi exercitia, licet pia, donec studia sint absoluta, differri: quandoquidem non deerunt alii, quia ea interim exerceant. Necessitatis tamen sæpè occurrentis ratione, dispensari aliquando opus est. Quod si qui ob ætatem, aliasque ob causas, cum ad tertium probationis annum mittuntur, Ordines nondum susceperint; hos, nisi fortè sacris initiati jam essent, eo tempore promoveri, Provincialis non permittet. l

2. Scholastici igitur nostri ordinariè circa finem studiorum promovendi videntur. Quia tamen Sacerdotes fieri non expedit eos, qui non benè in spiritu profecerint (cum post Sacerdotium longè difficilius, si opus fuerit, à Societate dimittantur) cavendum est omninò, ne deinceps, qui in spiritu, & religiosis virtutibus non benè profecerunt, aut in vocatione stabiles & firmi non sunt, ad Sacerdotium promoveantur; etiamsi suæ bonæ existimationis jacturam, nisi ordinentur, objiciant. Quare servanda est à Provincialibus Instructio de Ordinandis, quæ est inter Ord. Gen. Cap. 7. & in Consultationibus, quæ de Promovendis ad Ordines fiunt, quæ in ea Instrukione præscribuntur, diligenter examinentur; & illud præcipuè accuratè

i P. 4. c. 6. §. 3.
& C. & Or. c.
3. §. 7. & In. 1.
§. 1. tit. 1.

l Or. c. 3. Tit.
1. §. 7.

Quinam promovendi.

discutiatur, quod ad profectum spiritualem Promovendorum attinet. Cavendum verò ne, spe futuræ emendationis, adhibeatur hoc medium promotionis ad illos in spiritu juvandos, nisi aliundè constet emendatio.

Præterea Promovendus sit ea ætate, quam in singulis sacris Ordinibus requirit Concilium Tridentinum: naturali iudicio, & prudentia valeat: linguam latinam teneat; & bene legere, ac pronuntiare sciat: saltem in casibus conscientiæ diligenter versatus sit, & in ratione Missæ dicendæ benè instructus. Insuper oportet, ut consueta Societatis Vota emiserit; & quinquennium saltem in Societate exegerit. *m*

m In. 1. § 1. &
In. 3. § 1. &
Or. c. 7.

*A quo præsen-
tandi.*

3. Hæc omnia Provincialis, consilio suorum Consultorum adhibito, perpendet; quæ si invenerit, per se, vel per alios, præsentare suos poterit, ut promoveantur ad omnes Sacros Ordines; & ubi promoti fuerint. 1. Certiorem faciat Generalem. 2. In Librum ad id paratum referat Promotorum nomina. 3. Monebit suos Consultores, ut ad Generalem scribant, utrum Instructio de Ordinandis superius citata exactè servata fuerit. *m*

m R. Prov. 61.
& Or. c. 7. &
c. 8. §. ult. &
In. 1. §. 1.

*Non ordinantur
in sacris titulo
Patrimonij Be-
neficij, aut Professionis Religiosæ,*

4. Est autem peculiariter notandum Nostros, qui tria Vota Paupertatis, Casti-

tatis, & Obedientiæ in Societate emiserunt, etiam ante solemnem Professionem emissam, de licentia Præpositi Generalis (quam & dare poterunt Provinciales) ad sacros etiam Presbyteratus Ordines promoveri posse, dummodò aliàs idonei sint; non obstantibus quibuscumque aliis Constitutionibus Apostolicis, & in specie B. Pii V. qui Decretum Concilii Tridentini, quo vetantur ordinari Sacerdotes absque titulo beneficii, aut patrimonii, ad Clericos regulares non professos extendit. Quæ quidem Ordinatio non Professorum, & non habentium neque titulum Beneficii, nec patrimonii, nulli videtur esse iniqua; cum nos utamur jure nostro; & sic ordinati cesserint suo juri: ordinantur enim ad titulum voluntariæ paupertatis. Quare si eos expelli contingat à Societate tamen non tenebuntur Episcopi illis alimenta præstare. A qua etiam obligatione est immunis Societas; ne, qui ab ea sunt dimissi, ferant pretium improbitatis, aut levitatis suæ. Cum præterea sumptus maximos in iis alendis Novitiatus, ac studiorum tempore, fecerit; & ipsorum quisque adeò instructus naturæ, doctrinæque donis discedat; ut facilè honestam vitæ conditionem tueri possit, si modò homo frugiesse velit.

Greg. XIII.

p. 136. &

Greg. XIV.

p. 283.

C. 2. D. 77.

C. 7. D. 3.

*A quocumque
Antistite ordi-
nari possunt, non
servatis inter-
stitiis, &c.*

*Paul. III. p.
43. &c.*

*Greg. XIII.
p. 212. &c.*

5. Concessum etiam est; ut quibuscumque Præpositus Generalis maluerit, Catholicis Antistitibus ordinandos Socios præsentare valeat: ipsique Antistites præsentatos hujusmodi, absque omni obligatione ipsorum Ordinandorum, promovere possint. Quin & omnibus Antistitibus præceptum est; ne ab hujusmodi promovendis, qui licentiam à Præposito Generali, vel ab eo delegatis habuerint, requirant, vel exigant quædam, quæ in proximè citandis litteris Apostolicis referuntur; sed ipsos, etiam absque ulla functione in Ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis, & cæremoniis Ecclesiasticis, idoneitate, proprii Ordinarii licentia, & aliis, in aliis requisitis, ad minores, ac etiam extra tempora à jure statuta, tribusque Dominicis, vel aliis festis diebus, etiam continuis, ad sacros, etiam Presbyteratus Ordines promoveant; ac si illi omnibus requisitis præditi essent. Præsentis autem Gratiaë communicatio omnibus aliis etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiosè participant, omnino prohibetur.

S E C T I O V.

De Obligationibus circa Missam & Horas Canonicas.

1. **I**N Missa dicenda, ut præter intelligentiam, & devotionem internam, decentem etiam Nostri habeant exteriorem modum, ad audientium ædificationem, instituantur. Ad quem finem, in faciendo Sacro, nec multum semihoram excedant, nec ita breves sint, ut illam non expleant. Quare nullus publicè Missam dicere debet, donec coram aliquo, vel pluribus Domesticis, privatim eam dicat: ut in modo dicendi conveniat cum aliis de Societate: quæ cæremoniis eisdem utatur: & in his usum Romanum, ut magis universalem, & quem peculiari quadam ratione Sedes Apostolica amplexa est, sequatur. †

2. Propterea cum postulatum aliquando fuisset, ut, ad majorem erga venerabile Sacramentum Eucharistiæ devotionem exercendam, peteretur à Summo Pontifice; ut in Societate singulis quintis feriis non impeditis, Missa de illo celebraretur, & Officium proprium recitaretur; visum est nihil omnino petendum esse: magis autem

In Missa Decentia, & Ritus Romanus.

† Ex. c. 5. §. 7. & P. 4. c. 8. §. 2. & P. 8. c. 1. §. 8. & C. 1. D. 93. & C. 9. D. 19. & R. Sac. 4. & R. Præf. Eccl. 13. & In. 13. §. 5.

Officia particularia non petenda.

curandum, ut Societas in hujusmodi ritibus Romanæ Ecclesiæ consuetudini conformaretur, quemadmodum semper fecisset. *u*

u C. 5. D. 72.

Quoto die, aut hora celebrandum.

x P. 6. c. 3 §. 2.
y Ex. c. 4 §. 25.

x R. Sac. 3.

x R. Sac. 5.

b Greg. XIII.

p. 189.

c Comp. V.

Missæ §. 3.

Pro quibus ordinariè Sacrum faciendum.

3. Quoad tempus autem attinet sacrificii celebrandi, 1. Missæ celebratio sine causis legitimis ultra octo dies non differenda *x*; immo crebrior etiam esse debet. *y* Pro qua majori frequentia communis in Societate Sacerdotum pietas, quasi annuente S. Legislatore sacrificium quotidianum amplexa est. 2. Inde fit Sacerdotibus ita vivendum esse; ut quotidie celebrare possint: ad idque conducet, sæpius in hebdomada confiteri. *x* Qui verò in summo Altari sacra facturi sunt, simul atque admoniti fuerint; ad vestes Sacerdotales induendas se conferant; ut in tempore exire de Sacristia possint. *x* 3. Presbyteri Societatis, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa possunt celebrare per horam ante auroram, & infra horam post meridiem; atque id de licentia Generalis, aut ab eo delegati. *b* Communicatur autem hæc facultas omnibus Superioribus, & quibus ipsi commiserint. *c* 4. Quoad applicationem verò sacrificii pertinet; plures Missæ dicendæ, juxta intentionem præscriptam à Regula, ut

videre est in Catalogo impresso ante Reg. Sacerd. pag. 181. Et quidem singulis annis unum Sacrum faciendum pro nostra Societate. Alterum die ubique determinata pro Fundatore proprii Collegii, vel Domus, & Benefactoribus vivis, & defunctis. *d* Tertium die 27. Sept. in gratiarum actionem natæ, confirmatæque tum primum Societatis, proque felici ejusdem successu. *e* Quartum eo die, qui à Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum primus occurrit, non impeditus: & quidem paratu, & Missa emortuali, pro iisdem scilicet Defunctis in Societate. *f*

d P. 4. c. 1. §. 2.
& C. 3. D. 41.

e C. 7. D. 54.

f C. 13. D. 8.

Singulis mensibus quatuor Sacra fient.

1. Pro nostra Societate. *g*
2. Pro Fundatore proprii Collegii, vel Domus, & Benefactoribus vivis & defunctis. *h*
3. Pro Indiis & Gentium conversione. *i*
4. Pro regionibus Septem-trionalibus & Hæreticorum reductione. *j*

g p. 10. §. 1.
& Cat. Miss.

h P. 4. c. 1. §. 2.
& Cat. Miss.

Singulis hebdomadis 1. pro illis de Societate, qui extra Provinciam aliquando sunt mortui, semel sacrificium à quolibet offeratur. *k* 2. Pro nostra Societate, à designatis per Superiorem; ita ut duo offerant, si fuerint plures quàm decem Sacerdotes; tria si fuerint plures quàm viginti: *l* & ita deinceps in singulis decadibus, si

k P. 6. c. 4. §. 4.
& C. 3. D. 40.
& C. 13. D. 8.

l P. 10. §. 1.
& Cat. Miss.

nu-

numerus crescat. 3. Pro Benefactoribus vivis, & defunctis proprii Collegii, vel Domus, unus, aut plures celebrabunt, pro numero Sacerdotum, juxta prædictum ordinem. *m* 4. Designatus à Superiore faciet Sacrum pro Fundatore proprii Collegii, vel Domus, & Benefactoribus vivis & defunctis. *n* Quæ Sacra pro Fundatoribus præscripta facienda erunt, etiam in Domibus, & Collegiis, quæ saltem viginti ex nostris alere possunt; etiam si non habeant proprium Fundatorem; pro iis nempe qui eorum Fundationem notabiliter adjuverunt. *o* 5. Unusquisque Sacerdos Sacrum unum faciet ad intentionem P. Generalis, vel Vicarii. *p*

5. Sacra verò extraordinaria sunt. *i*. Cum primùm Societas in alicujus Collegii, aut Domus Professæ possessionem venerit, singuli Sacerdotes ter Sacrum facient pro superstite Fundatore ipsius, ac Benefactoribus; totidemque ad eandem intentionem, cum vita functus fuerit. *q* Pro Communitatibus verò, quæ non moriuntur, totidem Sacra fiant, pro viventibus & defunctis earum. *r* 2. In Domo vel Collegio, ubi quis de Societate decesserit, singuli Sacerdotes pro eo tria Sacra, in aliis verò Provinciæ locis duo Sacra faciant. *s* Pro iis, qui
in

m P. 7. c. 4.
& Cat. §. 4.

n P. 4. c. 1. §.
1. & Cat.

o P. 4. c. 1. E.
& Cat. §. 10.
p Cat. §. 20.
& C. 10. D. 8.
& C. 12. D.
56. & §. 4.
Extraordinariè,

q P. 4. c. 1. §.
4. & C. 3. D.
41. & C. §.
11. 12. 14.
r P. 4. c. 1. D.
E. & Cat. §.
13. & 15.
s C. 3. D. 40.
& Cat. §. 16.

in itinere Indico moriuntur, in duabus
 Provinciis eadem suffragia fiunt. At qui
 in Europa, extra fuam Provinciam, pere-
 grè decedunt, in propinquiori Domo,
 & in ea tum Provincia, tum Domo, ad
 quam mittebantur, tamquam in iis obii-
 ferint, suffragia obtineant. *† Quæ autem* *† Or. c. 2. §. 3.*
 Sacra dicenda ſint in gratiam Noſtrorum,
 qui aliquibus muneribus perfunãti decel-
 ſerint, ſuis uniuſcujuſque gradus locis di-
 cetur. Adverte, quot ſacra pro aliis dicenda
 Sacerdotibus præſcripta ſunt, totidem, ex
 citato Catalogo; Coronas B. V. recitan-
 das eſſe pro iisdem à non Sacerdotibus.

*Hora Canonica
 privatim reci-
 tanda.*

6. At circa Horas Canonicas, quarum
 obligatio ſubſequitur ſuſceptionem Ordini-
 ſis ſacri, habet peculiare Societas, ut non
 teneatur illas recitare in Choro. *“ Et ratio*
 huius Privilegii eſt; quia occupationes,
 quæ ad animarum auxilium aſſumuntur,
 magni momenti ſunt, ac noſtri Inſtituti
 propriæ, & valde frequentes: cùm alio-
 qui noſtra habitatio tam ſit in hoc, vel in
 illo loco incerta; ut propterea Horis Ca-
 nonicis, & aliis Officiis decantandis va-
 care non poſſit. Illis autem, quos ad eã
 audienda devotio moverit, abundè ſuppe-
 tet, ubi ſibi ipsis ſatiſfaciant: *“ at de*
 cantu commodius infrà dicitur *P. 5. C. 1.*
S. 7.

*“ Paul. III. p.
 14. & Jul. III.
 p. 67. & Greg.
 XII. p. 136.*

“ P. 6. c. 3. §. 4.

7 R. Sac. 2.

S. 7. Cæterùm etsi non tenemur commu-
niter, & in Choro Divinum Officium re-
citare; jubemur tamen adniti attentè, de-
votè, & opportuno tempore recitare. 7

C A P U T V.

De Nostrorum Scholarium Studiis.

PRæcipua hujus Partis tractatio
hoc Capite comprehenditur; quo
Scholasticorum Societatis studia
exponenda sunt. Horum enim
potissimùm gratiâ Collegia instituta fuisse
initio hujus Partis indicatum est. De Scho-
lis autem, quatenus ad Externorum uti-
litatem suscipiuntur, dicetur P. 5. C. 4.
cum de mediis, quibus Societas Proximos
juvat, differendum erit.

S E C T I O I.

De Studiis literarum Humaniorum capessendis.

*Utilitas harum
literarum.*

1. **C**UM doctrinæ, quæ in hac Socie-
tate addiscitur, hic scopus sit, suis
& proximorum animis, Dei favore aspi-
rante, prodesse: hæc erit in universum,
&